

rum librariorum, vel inscitia, vel negligentia, infictis.

IIII. Sed saepenumero omnes librorum veterum Codices exhibent lectorum oculis verba mendose scripta; saepenumero omnium librariorum manus peccasse in scribendis, non modo litteris syllabisque singulis, verum integris etiam vocabulis, leges Grammaticae non minus declarant, quam ipsorum verborum ingenium totiusque orationis series. Tum vero auxilia peti debere in promptu est ab ingenio, adiuto et instructo linguarum veterum copiis, omninoque Grammaticae, et usus loquendi scriptoris cuiusque, scientia idonea; etiam sagacitate quadam praedito, quae videat et quasi odoretur vestigia verarum lectionum, lectionibus falsis fere impressa. In Palaephati quidem libello inuenitur huiusmodi locorum magna copia. Mythicus enim ut doceat lectores iisque persuadeat, Actaeonem propterea dici ab canibus suis deuoratum esse, quod ob nimium venandi studium neglexerit rem familiarem, adeo ut inops tandem omniumque rerum egenus fieret, ostendit, etiam lenonem eum, qui ad inopiam et egestatem redactus sit, ferri vulgo a meretricibus et fornicariis deuoratum. Eo autem loco *) leguntur in libris scriptis, iisque integris neque male truncatis, omnibus haec verba, ἐπέπερ καὶ νῦν πορνοβοσκῶν δυστυχήσεις εἰώθασιν λέγειν ὅτι ὑπὸ τῶν πορνῶν κατεβρώθη. Quibus verbis facile apparet nullam inesse, neque structuram, neque sententiam, huiusque

*) C. 3, 7